

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

No 1189.



M Tischer fecit

BIBLIOT REGIA HAFNIENSIS

LN 1645
ex. 2

PSA
IN
CONC
NEN
PVBLI
arum 24.
Regnis
imp

PETR
VIN

H
Impr

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)



PSALMVS LI.

IN TRES

CONCIONES PROPO-
NENDAS TRIDVO
PVBLICARVM LITANI-
arum 24. 25. 26. Martij, Anno 95.
Regnis & Ducatibus Danorum
imperio ſubiectis, indi-
ctarum, tri-
butus.

à

PETRO IOHANNE
VINSTRVPIO.

HAFNIÆ.
Impreſsit Matthias Vinitor.

M. D. XCV.

1189.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Auguſtinus.

IN tribunal mentis tuæ aſcende contra te & reum te conſtitue ante te: noli te ponere poſt te, ne DEVS te ponat ante te.

Ambroſius.

Peccauit Dauid, quod ſolent reges: ſed pœnitentiã egit, fleuit, ingemuit, quod non ſolent reges, confeſſus eſt culpam & impetrauit indulgentiam.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

TH…
PRIM…
carum…

titudinem m…
le præuaricati…

2. Mu…
iniquitate m…
munda me…

3. (…
…nes meas ego…
…meum coram…

4. *Tibi…*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

1189.

TEXTVS
PRIMA DIE PVBLIcarum precum proponendus.
Pſalmo LI.

I.

MIſerere mei DEVS ſecundum miſericordiam tuam, ſecundũ multitudinem miſerationum tuarum dele præuaricationes meas.

2. Multiplica lauare me ab niquitate mea, & à peccato meo nunda me:

3. (Quoniam præuaricationes meas ego agnoſco, & peccatum ieum coram me eſt ſemper.

4. Tibi, tibi ſoli peccaui, &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

malum in oculis tuis feci:) vt iuſti-
ficeris dum loqueris, & ſis purus
dum iudicas.

5. *Ecce, in iniquitate geni-*
tus ſum, & in peccato calefacta eſt
de me mater mea.

6. *Ecce, veritatem voluiſti*
in renibus: & in occulto ſapienti-
am ſcire feciſti me.

Pœnite

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

1189.

POEnitentiam aptè nuncuparunt veteres Secundam tabulam poſt naufragium gratiæ, in Baptiſmo (qui prima ſalutis tabula dicitur) obſignatæ.

Quemadmodum enim qui mari iter faciunt tempeſtate ſuborta, ſi nauim vi fluctuum frangi contingat, tabulam, ſuo quiſq; loco, ex naufragio arripiunt, quâ ſubuecti in littus tandem incolumes deferantur: Sic & miſeris mortalibus, in vaſto hoc & periculoſo Mundi pelago fluctuantibus, & ſubmerſioni vicinis, unica hæc ſalutis tabula in verbo Dei commonſtrata exiſtit: vera nempè & ſalutaris ad Deum conuerſio, quâ ſubuecti, in ſalutis portum per IESVM CHRISTVM recipiuntur, apud quem ſaburratæ conſcientiæ onus & oneris reatum deponere, atq; ſalutaria cuncta ab eodem gratis impetrare queunt.

Exempla in ſcriptura paſſim occur-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

ſunt plurima, grauiſsimè lapſorum: inter quos Rex & Propheta Dauid, haud minimus inuenitur, qui cùm in mare peccatorum prolapſus eſſet, & ſæuiſsimis ſcelerum procellis ab Eccleſia abreptus, naufragium ſalutis feciſſet, ilicò tabulam hanc arripuit, & eâ tanquam medio vſus, ad æternæ ſalutis portum perductus eſt: Quem omnes illos, qui in ſimilia aut alia plurima & magna ſcelera ſeſe ingurgitarunt, multumq; ac diu ſæua eorundem tempeſtate iactati ſunt, imitari oportet: vt humili Spiritu ad IESVM CHRISTVM (ni fidei ac ſalutis naufragium facere velint ſupremum) feſtinent & anhelent. Qui vocem Euangelij dulciſsimam dedit, monſtrantem tutum maris ſinum, DEI videlicet immenſam miſericordiam & iuſticiam per eundem CHRISTVM acquiſitam & exhibitam.

Ideo celeberrimum hunc Dauidis Pſalmum in cœtu piorum, hocce triduo, publicarum precum ſolennitati, à pijſsimo noſtro Magiſtratu conſecrato,

to, viſum eſt proponere, qui inter pœ-
nitentiales veteris Eccleſiæ conſuetudi-
ne numeratur.

Eſt enim illuſtre exemplar, Idea, & abſolutiſsima forma, veræ & ſalutaris conuerſionis ad DEVM, nos de multis magniſq; rebus ſalutaribus commonefaciens: Cuius Argumentum & ſumma hæc eſt:

Argumentum Pſalmi.

DAuid à Nathane DEI Propheta admonitus & accuſatus grauiſſimorum ſcelerum: Adulterij nimi- 2. Sam. 12
rum, homicidij & fraudis, quorum nullo aliquamdiu ſenſu tactus fuerat: Sed ijs ſecurè indormiſcens obſtupuerat: Donec mandante id Domino, tanquam ad tribunal eius citatur: Vbi Diuinæ iræ denunciatione perterrefactus & ſtimulo conſcientiæ percitus, è profundiſsimo peccati lethargo, Spiritu Sancto cor ipſius, efficacitate

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

ſua per verbum mouente excitatur: excitatus peccatum agnoſcit & intimi pectoris ſuſpirijs deplorat, ſe non tantum innocentis ſanguinis effuſione, libidine & fraude horribiliter deformatū: Sed & totam naturam ſuam originis vitio & labe ab ipſo conceptionis momento corruptam eſſe. Mox remedium omnium ſaluberrimum quærit, Dei ſolius interminatam miſericordiam, per quam ſibi deletionem & expiationem omnium delictorum, ac cordis veram conſolationem datum iri indubitatò ſtatuit: & ne poſtmodum in ſimilia vel alia delicta contra conſcientiam prolabatur, Spiritus ſancti præſentiam orat, quo ductore & doctore fretus, vitæ nouitatem & gratitudinem perpetuam promittit. Tandem pro Eccleſiæ & Reipub. ſalute & conſeruatione, vt in genere humano ſemper ſint aliqui cœtus, Deo ſacrificia iuſticiæ offerentes, hoc eſt, ipſum perpetuis laudibus celebrantes, ardenter precatur.

Huius ſanctiſsimi Prophetæ Exemplo & nos, qui non modo grauiſſimarum præuaricationum atrocitatem, ſed

&

& totius naturæ fœditatem in animo & corpore circumferimus, moniti, hac pœnitentiæ forma, hiſce diebus & toto vitæ noſtræ tempore vtamur. Seriò expaueſcamus ad DEI judicium & petámus nos aſpergi & ablui ſanguine agni immaculati IEſu Chriſti: Tum etiam Spiritu mentis noſtræ innouari & confirmari, ne deinceps in peccata contra conſcientiam prolabamur: Sed vitam noſtram ad iuſticiæ & ſanctitatis formam componentes, ipſi perpetua obedientia ſeruiamus & vera laudis ſacrificia exhibeamus.

Partes principes Pſalmi duæ ſunt.

VErſatur enim totus in petitione gratiæ, deinde, donorum quæ per gratiā conferuntur. Seu ἀναιρέσει τῶν κακῶν καὶ θέσει τῶν εὐεργετημάτων, hoc eſt, Remotione & priuatione mali culpæ & pœnæ, propter ſolam DEI miſericordiā, & poſitione ſeu donatione bonorum, quæ gratuitam peccatorum condonationem comitari ſolent.

Nos verò docendi cauſa, pro numero concionum, hoc triduo proponendarum, in tres partes diſtribuemus.

Prima eſt ardentiſsima precatio, qua ſibi ex immenſa gratia, peccata remitti petit: Cui, petitionis rationes mox ſubiungit: & abſoluitur primis ſex verſibus.

Secunda à verſu ſexto ad 13. complectitur præcipuè gratias poſitiuas: Reſtitutionem lætitiæ, mundiciē cordis, donationem & gubernationem Spiritus ſancti, conſcientiæ tranquillitatem & ſimilia.

Tertia habet promiſsionem gratitudinis, cui attexitur votum pro tota Eccleſia & politia, à verſu 13. vſq; ad finem Pſalmi.

De Prima parte.

Miſerere mei Deus ſecundum miſericordiam tuam.

DIuus Bernhardus tria conſideranda oranti, monet.

Pri-

Primum, quid petit. II. ipſum à quo petit. III. ſeipſum qui petit.

In eô, quod quis petit, duo ſunt animaduertenda: vt quod petit ſit ſecundum DEVM. II. vt ſummo affectu petat.

In ipſo à quo quis petit etiam duo perpendenda. Ipſius nimirum bonitas & potentia.

In ſeipſo, qui petit ſimiliter duo conſideranda: vt nihil pro ſuis meritis putet ſe accepturum. II. vt ex DEI miſericordia, quicquid impetret, ſe obtinere ſciat.

Hæc omnia apprimè in hoc monſtrantur Pſalmo. Ideo mutato paululum ordine à Bernhardo poſito, In hac prima Concione ſequentia expendamus membra.

I. Quis petit?

II. Ad quem confugit?

III. Quo nititur fundamento?

IIII. Quid petit?

V. Cur ſe petita impetraturum ſperat?

VI. Vnde in hanc peccati ſui & gratiæ DEI cognitionem deuenerit?

Pri-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Primum Membrum.

PErſona petens Rex & Propheta Dauid eſt, quem Dominus elegerat, & è caulis ouium productum Regem Iſraëlis vnxerat & confirmauerat, fugatis vel fuſis omnibus hoſtibus eius. Nec ſolum felici paſſu progreſſum in excelſa ſummi honoris ſede collocauerat DEVS: Sed etiam promiſſionibus dulciſſimis de Filio ſuo ex ipſius lumbis prodituro beauerat: Vt de eo dicat ſcriptura, quòd Vir fuerit ſecundum Cor DEI.

Hic tantus vir neglectis omnibus beneficijs Diuinis & excuſſo DEI timore laxat frena cupiditatibus & in grauiſſima atrociſſimáq; ſcelera aurium tenus demergitur, & ſecurus rebus ſecundis factus iſtuc impietatis prolabitur, vt nulla aliquamdiu ſceleris pœnitudine aut DEI reuerentia tangatur. Donec voce Prophetæ diuinitus miſſi admonitus euigilat, ac terribili legis concione cor & conſcientiam accuſante, conficitur.

Vnde conſpicitur:

I. Quanta ſit corruptio & imbecilli-

tas,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

tas naturæ humanæ, etiam in ſanctiſſi-
mis & præſtantiſſimis hominibus, quos
ſcriptura & experientia teſtantur ſæpiſ-
ſimè ab illecebris carnis & tentationi-
bus victos ſuccubuiſſe: Sic Adam, Loth,
Dauid, Salomon, Petrus, Paulus & ſi-
miles victi ſunt. Quis igitur tutus erit?
Quis non metuet?

II. Videmus, quanta ſit potentia, audacia & aſtutia aduerſarij noſtri Diaboli in ſeducendis & perdendis hominibus, maximè ijs, qui ſe vitamq; ſuam DEO dicarunt & conſecrarunt.

III. Homines in proſperis rebus ſecuriores fieri & in frenandis cupiditatibus negligentiores: ſicut Dauid in otio & pace deſignat quod in exilio & perſecutione antea nunquam perpetrauit.

In hunc ergo triſtiſſimum Dauidis & aliorum ſanctorum lapſum intuentes, diligentiores ſimus in vitandis carnis noſtræ blanditijs & Sathanæ inſidijs, qui vt ab ipſa rerum origine optimis quibuſq; inſidiatus eſt, Ita etiamnum 1. Pet. 5.
tanquam leo rugiens circumit quærens quem deuoret, memores grauiſſimæ

admo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Matt. 26. admonitionis CHRISTI : Vigilate
ne intretis in tentátionem. Et Pauli:
1.Cor.10. Qui ſtat videat ne cadat.

Secundum Membrum.

IN quo videmus Prophetam in hac conſcientiæ lucta, ad nullum aliud præſidium recurrere, quam ad ſolum Iehouam, quem cùm nominat, eum ſibi ad ſalutem ſufficere, & quod petit, præſtare velle & poſſe, fidenter ſtatuit. Nec aliunde petendam eſſe gratiam docet, quam ab hoc vnico, qui omnis gratiæ & miſericordiæ fons eſt: ſicut in verbo ſuo abunde promiſit & illuſtribus teſtimonijs atq; Exemplis, omnibus ſeculis promptitudinem hanc recipiendi peccatores, manifeſtè declarauit. Ezech: 33. Pſal. 103. Act. 4. 10. 13. 1. Timoth. 1. Ioh. 3. &c.

Tertium Membrum.

TErtiò conſiderandum eſt: Quo fundamento nitatur, quod tam audacter & intrepidè, hunc DEVM offenſum accedere & compellare audeat, fœtida hæc peccati maſſa: Id exprimit,

mit,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

1189.

mit, dum inquit: *Miſerere mei.*

Nouit enim DEVM nulla re alia moueri, vt peccata deleat & remittat, quam mera ſua miſericordia, quâ ipſe in ſeſe & ex ſeſe, noſtro malo ſic afficitur, vt rogatus, ilicò ad ſuccurrendum perdito hominum generi impellatur.

Non igitur DEVM abſolutè ſed relatiuè intuetur: Hoc eſt: Non qualis ſua Diuina maieſtate & potentia eſt, Zelotes, ſeuerus, iuſtus, peccatis iraſcens: Sed qualem ſe in Euangelio conſpiciendum exhibuit, benignum, miſericordem, onganimem &c. Hunc Propheta, exluſis omnibus meritis proprijs, dignitae ſua Regia, & depoſita omni fiducia umana, fide amplectitur & ſibi gratis mnia delicta remiſſum iri credit: Miericordiam hanc opponens omnium eccatorum turpitudini, terroribus onſcientiæ, pœnarum acerbitati & orrendo DEI iudicio. Sicut pubcanus Lucæ 18. DEVS propitis eſto mihi peccatori.

Et quoniam non leui aliquo eccati reatu diſtrictus tenebatur:

Sed

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Sed tan qui magna conſolatione & ef-
ficaci remedio opus habebat, addit
*Secundum multitudinem miſeratio-
num tuarum*: implicita quadam An-
titheſi opponens infinito peccatorũ nu-
mero infinitã miſericordiam. Hic ſcilicet
Abyſſus miſeriarum inclamat Abyſſum
miſericordiarũ: & voces Hebrææ Che-
ſed & Rachamim exprimunt dulciſsi-
mum & vehementiſſimum affectum,
qualis eſſe ſolet commiſeratio paren-
tum erga liberos. De qua Pſal. 103.
Eſa. 49. 2. Paral. 30.

Docemur igitur & monemur, vt in
ſimilibus doloribus, quoties conſcienti
noſtra cum iuſto DEI iudicio dimicat
& nil præter horrenda malarum tenta-
tionum ſpectra videt, pœnaſq; parata
perſentiſcat, nequaquam animum de-
pondeamus aut frangamur magnitudi-
ne vel delicti vel pœnæ: Verum po-
tius hoc validiſſimo gratiæ Diuinæ
fundamento innixi, indubitata conſe-
quendæ veniæ ac mitigationis pœna-
rum ſpe nos erigamus, conſolemur, ſu-
ſtentemus, & caueamus ne noſtra me-
rita

rita, ſanctitatem aut iuſtitiam propriã venditemus: Sed fiducia ſolius gratiæ & miſericordiæ Diuinæ (quæ vinculi inſtar eſt, extrema hæc, DEVM iratum & hominem damnatum arctiſsimê coniungens) conſolationem apud eundem quæramus, certò ſtatuentes nos propter ſolum Filium, qui miſericordiæ huius baſis eſt, exauditum & adiutum iri.

Quartum Membrum.

QVid petit? Poſtulat initio gratias priuatiuas, hoc eſt, ablationem omnium eorum, quæ Deum offendere & conſcientiam grauare poterant, & quod ſummatim, ſeu in genere initio propoſuit, per ſpecies enumerat: Eſtq; in ijs πάθος ſeu vehementiſsimus affectus ſexies hoc Pſalmo repetitus. Quò enim maiores dolores, pius animus propter peccata perſentiſcit, Eò etiam vehementius flagrat ardore & deſiderio redeundi in gratiam cum DEO: Ideoq; non ſatis eſſe iudicat, ſemel atq; iterum gratiam imploraſſe, Sed idem ſubinde repetit & anxiè expetit, mutata vel

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

ſteratâ petitionis forma, vt ſequitur. Primum inquit, verſu 1. & verſu 11:

Dele iniquitates meas.

VErbum Hebræum Maha, ſignificat ea, quæ in tabula aliqua, memoriæ cauſa, impreſſa & conſignata ſunt, ita expungere, delere, obliterare, vt non conſpiciantur amplius. Similitudine pulcherrima depingens peccatorum remiſsionem: Quod ſit delitio, non modò iniquitatis, per ſanguinem Meſſiæ: Sed etiam abolitio obligationis & Chirographi *illius*, quo nos propter immenſum debitum iudicio DEI obnoxij tenebamur: Etenim cùm ſoluendo non eſſemus, miſit DEVS filium, qui in cruce ſuſpenſus, omne noſtrum debitum precioſiſsimi ſanguinis ſui rubrica inducta deleuit, auferens etiam è medio Chirographum, id eſt, Damnatoriam legis ſententiam, ne quid credentibus in poſterum eſſet metuendum.

Coloſ. 2. Eſa. 43. Ego, ego ſum, qui deleo iniquitates veſtras propter me. Item, 44. Ego deleui qua-

ſi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

ſi nubem iniquitates veſtras & quaſi nubeculam peccata tua. Act. 3. Pœniteat vos erroris, vt deleantur peccata veſtra.

Secundum quod petit: *Laua me.*

PEtitio hæc metaphorica duo indicat. I. Qualitatem naturæ noſtræ, quod ſimus maſſa polluta & fœtida varijs peccatis contaminata, quæq; indies magis magiſq; impuratur, non aliter ac pannus mulieris menſtruatæ, vt loquitur Eſaias Cap. 64.

II. Deinde oſtendit opus eſſe ablutione & ſingulari lauachro, ad has ſordes eluendas, quæ cum non leues ſint, vt ad primam quamq; immerſionem aut aſperſionem prorſus elui poſſint, petit ſe non ſemel, ſed ſæpius iterata & frequenti ablutione purgari, quod imperatiuus Hebræus cibbes oſtendit: *Multiplica me lauare*, vel iterum atq; iterum *laua me.*

Tertium *à peccatis meis munda me.*

EST in hac voce ſimilis metaphora, nec minus etiam ſuauis, qua

1189.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

etiam vtitur Iohan. 1. Epiſt. Cap. 1. Sanguis IESV CHRISTI mundat nos à peccatis noſtris.

Tunc autem à peccatis mundari dicimur, quando illa ex DEI miſericordia nobis ita remittuntur, vt nec condemnent nos, neq; amplius imputentur: & ipſius ope poſtea ſuſtentamur & iuuamur, vt vitioſis affectibus & inordinatis motibus frena inijcere queamus, per Spiritum ſanctum, qui ſubleuat infirmi- tates noſtras, perſeuerantiæ virtutem ingenerat, & nos ita per lauachrū aquæ & ſanguinis purgat, vt in æternum mundi cenſeamur, quamuis interdum ex congenitæ labis vitio & infirmitate denuo polluamur.

Rom. 8.

A Peccatis.

OStendit vnde purgari ac mundari velit, à peccatis nempe & iniquitatibus: Sunt enim inquinamenta ſpurciſſima & ſordes fœdiſsimæ in conſpectu Dei: Quod peacandi odium atq; terrorē omnibus meritò incutere debet. Quomodo autem fiat hæc mundatio infrà docet verſu 7. de quo Concione craſtina dicetur.

Quin-

Quintum Membrum.

RAtiones nunc addit, cur ſibi peccata remitti & iuſtitiam impertiri petat & credat.

I. Quia peccatũ confitetur Dauid.

II. Quia id contra ſe eſſe ſentit.

III. Quia ſoli DEO peccauit.

IV. Quia non ſibi ſed DEO laudem iuſtitiæ tribuit.

V. Quia ſe in iniquitate conceptũ fatetur.

VI. Quia DEVS veritate delectatur

Quoniam iniquitatem meam agnoſco.

PRima Ratio ab ingenua ipſius confeſsione ſumpta eſt: Q. D. Ego ex animo ingemiſco & doleo, ob turpitudinem & atrocitatem omnium delictorum meorum, & coram te DEO meo tuoq; miniſtro ad me miſſo, fateor aduerſus me omnes iniquitates meas: quod in corde & conſcientia hactenus occului, ingenuè nunc aperio: non quæro am-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

plius latebras, aut vllos peccati prætextus: Sed ante tuos oculos, totam peccatorum meorum ſarcinam & molem grauiſsimam depono & explico, ſpe gratuitæ remiſsionis conſequendæ à te, qui gemitus contritorum non deſpicis. huc referantur ſcripturæ dicta, Prouer. 28. Confitenti peccata ſua & relinquenti, Dominus erit propitius. Sirach. 17. Act. 3. 1. Ioh. 1. Si confiteamur peccata noſtra, &c.

Cognoſcendi verbum idiotiſmo Hebraico ſignificat non modò nudam aut ſimplicem notitiam rei, ſed ſenſum ipſum & affectus noticiam concomitantes, ſeu quid res illa efficiat: Sicut & hoc loco Dauid dicit ſe ſentire, quàm horrenda & triſtis res peccatum ſit coràm DEO, quàm intolerabilis ira eius propter peccatum, ſeq; ex huiusmodi ſenſu, veris animi angoribus exhorreſcere & contremiſcere.

Eſt hoc Primum caput in ſalutis noſtræ negotio; Vt peccati vim & energiam in nobis cognoſcamus &

nos

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

nos proinde é Regno DEI excluſos eſſe deploremus.

Hunc enim præcipuè legis vſum eſſe docet Paulus. Vt in ea, ceu ſpeculo quodam, peccata noſtra contemplemur, atq; latentem in nobis corruptionem deprehendamus, ne ſecuritatis faſcino excœcati, tandem á DEO abijciamur.

Et peccatum coram me eſt ſemper.

ALtera Ratio ab effectu peccati, quod ſemper triſtes aculeos, in mente peccatoris relinquit, quibus animus axagitatur, conſcientia ſauciatur & memoria idemtidem refricatur & facit peccatum ſummé peccans, vt Paulus loquitur. Rom. 7. Senſus igitur eſt. Semper oculis & animo meo obuerſatur peccatum, ſicq; eius ſtimulis exagitor: Vt quocunq; me vertam, nihil aliud ſentiã, quàm eius atrocitatem, noctes dieſq; me accuſantem, ac æternæ mortis & damnationis ſententiam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

mane proclamantem. Ideo condonationem & ablationem vehementer expeto.

Ac quamuis apud DEVM peccati 'αμνηστία & in mente peccatoris gratiæ fiducia inducta ſit: Sanctis tamen in memoriam ſæpe venit peccati enormitas & fœditas, Quam cum ſenſerint, extempl̀o cogitent id ideo fieri: vt DEO pro remiſſione gratiam referant, & intra pietatis metas ſe in poſterum contineant, ne rurſus per ſcelerum præcipitia abripiantur.

Tibi, tibi ſoli peccaui & malum coram te feci.

TErtia Ratio ab obiecto. Tu ſolus DEVS offenſus es, à te igitur ſolo condonationem peto.

Primum hìc monemur, quàm atrox res peccatum ſit, quod non hominem ſolum, ſed bonum illud infinitum, DEVM nempe, grauiſſimè offendit, & eius iudicium in ſui vindictam ſemper prouocat.

Pecca-

Peccauerat quidem Dauid in fideliſsimum ſeruum ſuum Vriam, quando eius dilectiſsimam vitæ ſociam adulterio polluit & commiſsũ ſcelus crudeli cæde & ſanguine mariti tegere conatus eſt.

Peccauerat etiam in ſubditos ſuos, quos peruerſo exemplo in ruinam traxit, & blaſphemare fecit inimicos nomen Domini: Sibi tamen negotium cum DEO præcipuè eſſe dicit, cuius promiſsionum & multiplicium beneficiorum prorſus immemor, tanta ſcelera in nominis ipſius profanationem deſignauit.

Quapropter peccata alia pro nihilo ducit, ſi cum hac perfidia & ingratitudine conferantur, quam in DEVM commiſit, violando ipſius fœdus, negligendo vniuerſa eius beneficia, profanando ipſius ſanctuariũ, contemnendo promiſsiones eius, atq; populo DEI, occaſionem reſiliendi à pietate præbendo.

DEI proinde iudicium horrendũ (ſi ad calculum reuocentur delicta) nullo ſe vnquam modo effugere poſſe fatetur: Etiamſi totus Mundus peccatum tantum vel neſciat, vel cognitum occultare ſtudeat,

Doctrinæ.

I. Non igitur eſt, quod nos DEI tremendum iudicium effugere, aut illius oculos fallere poſſe putemus: Neq; vllam hominum excuſationem, aut peccatorum occultationem valere, vbi conſcientia nos ad huius iudicis, quem offendimus tribunal citat & accuſat.

II. Admonemur etiam: vt cùm peccata, quibus proximum lædimus, maximè in Deum comittantur: Non tàm de illo placando, quàm hoc exorando ſolicitos nos eſſe oportere.

III. Ad hæc, quoniam DEVS piorum tanquam membrorum ſuorum iniuria afficitur: Sicut dicitur Eſa. 63. in afflictione populi mei afflictus ſum. Item Zacha. 12. Qui vos tangit, Pupillam oculli mei tangit. Et Act. 9. Saul cur me perſequeris. Non dubium erit, quin idem vindex & vltor erit, ſi pupillo aut egeno, damnum immeritò intulerimus.

Vt iuſtificeris in Sermonibus tuis & vincas cùm iudicaris.

Quarta

1189.

QVarta, Ratio exponens cauſam, cur tàm apertè & ingenuè peccatis ſuis laruam in conſpectu DEI detrahat: nempè vt eius iuſtitia & ſua ipſius malicia, magis magiſq́ innoteſcat. Ac ſi diceret: Tu Domine teſtatus es, te iuſtum & veracem eſſe, cum per Prophetam peccata mea abſcondita mihi reuelares, & omni me pœna dignum iudicares. Stat ſanè ſententia: Tu iuſtus, ego reus tibi, de me pœnas temporales & æternas ſumere omni iure licebit. Quod loqueris verum eſt: Quod iudicas, iuſtum eſt: Quod facis, rectum eſt: Tu tibi ſemper conſtas: Tu promiſſa ſeruas: Cuius rei gratia peto, vt in iuſtitia miſericordiæ promiſſæ ecorderis, quam cùm præſtiteris, in ne, & iuſtitiæ & veritatis tuæ exemlũ peccatoribus omnibus oſtendes.

Quando igitur peccator ſua delicta EO & Eccleſiæ, ſine ſimulatione fateır. Laudem iuſtitiæ & veritatis DEO ibuit.

Qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Luc. 18. Qui verò cum Phariſæo tument proprìorum meritorum fiducia, aut in Diuina iudicia curioſius inquirunt: dum vel ſe iniuſtè ab ipſo puniri quiritantur, vel etiam cum ſe malis premi ſentiant, fremunt aduerſus DEVM, eum ſæuitiæ & Tyrannidis incuſantes, ſicut Saul ſe iniuſtè Regno excuti clamitabat: Hi inquam, Deum omni honore iuſtitiæ & veritatis ſpoliant. Si enim dixerimus, Quoniam non peccauimus, mendacem DEVM facimus, & verbũ eius non eſt in nobis. 1. Ioh. 1.

Quocirca nos, qui quotidie delinquimus, agnoſcamus ipſum iuſtiſsimas habere cauſas, cur nos Cruci ſubĳciat & durius interdum excerceat. Ideoq; eius benignæ voluntati cum vera animi humilitate nos ſubĳcientes, cum Mauritio Imperatore ſpectante triſtiſsimam necem coniugis dulciſsimæ & libero-

Pſal. 119. rum, dicamus: Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum. Et cum Da-

Dan. 9. niele: Tibi Domine iuſtitia, nobis confuſio faciei.

Ecce

Ecce in iniquitatibus concep-tus ſum, & in peccatis calefecit me Mater mea.

QVinta Ratio à radice & fonte omnis mali in Natura, à primo ortus noſtri parente propagati, qui à rectitudinis ſtatu peccando corruens, filios ad imaginem ſuam genuit. Hinc malum illud inhærens & labes congenita, in ipſo ſtatim conceptionis momento contracta, in poſteritatem propagatur: Vnde vires omnes humanæ interiores & exteriores adeò corruptæ, detritæ & deprauatæ manent, Vt ſemper legi & voluntati DEI reluctentur. Gen. 8. Figmentum cordis humani prauum. Iere. 7. Rom 7. Ephe. 2.

Talem ſe quoq; eſſe, hancq; labem in materna aluo contraxiſſe, in ea conſcaluiſſe & in mundum ſecum attuliſſe, ac propterea æternæ mortis exitio, indeuſq; a primo ortus ſui auſpicio, obnoxiũ eſſe fatetur Propheta. Non damnat ſacroſanctum coniugium, neq; parentum ſuorum peccata exaggerat: ſed propri-

am

àm vitioſitatem flebiliter deplorat, quæ
tàm altè radices in natura egit, vt pe-
nitus (quoad in hac carne corruptibili
manendum erit) exiſtrpari nequeat.
Eius propterea condonationem hac
precatione flagitat, Ac ſi diceret: Non
illa in me, quæ nouiter admiſi, ſola
vigent ſcelera: Habeo etiam in
me, ex natiua corruptione, quod
ignoſcas: Ideo ex corde ingemi-
ſcens, peto, vt cures & ſanes hanc
magnam miſeriam meam.

Dicuntur hæc in noſtri conſolatio-
nem & admonitionem: Vt cùm ſimi-
lis in nobis ſit corruptio ex eodem fon-
te orta, hoc eſt, non imitatione, vt Pe-
lagiani ſomniarunt: Sed naturali pro-
pagatione in nos deriuata, dum in ea
caleſiebat, fouebatur & mouebatur, fœ-
tida maſſa noſtra, quando primo con-
ceptu eſſe inciperet & adhuc maternis
viſcerbus illigata maneret, qualis etiam
in lucem hanc prodijt. Ideo quotidie
vitioſæ & impuratæ naturæ deformi-
tatem dolenter deploremus & depo-
ſita

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

ſita propriarum virium confidentia petamus amiſſã imaginem & integritatem, per CHRISTVM in nobis reſtitui & renouari.

Ecce veritate delectaris, quæ in occulto eſt.

SExta Ratio. Ideo ad tuam gratiam confugio, quia ſcio te non modò non auerſari miſeros peccatores, tàm fœdè animo pariter & corpore omnibuſq; actionibus deformatos: Sed potius illorum conuerſione, modò vera & ſincera ſit, ſummè delectari.

Veritas igitur hoc loco eſt, vera deiecti animi humilitate agnoſcere ſe nihil niſi peccatum coram DEO eſſe & acquieſcere in præſidio fauoris ipſius.

In occulto veritas,

SEV vt in Hebræo eſt: veritas in renibus: interior animi pietas eſt, non in oculos incurrens hypocriſis, qualis hodie in multis cernitur, qui clauſis

oculis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

oculis prætereunt, & diſsimulant illa mala quæ in natura hærent noſq; abominabiles DEO reddunt, ſpeciem tantummodo iuſtitiæ & pietatis ſimulationem foris exhibentes.

Et ſapientiam abſconditam manifeſtaſti mihi.

SExtum & vltimum membrum huius concionis, vnde in hanc congenitæ impuritatis & flagitij commiſſi, tum etiam gatiæ Diuinæ cognitionem deuenerit: Nimirum per reuelationem ſapientiæ abſconditæ, hoc eſt, eius Doctrinæ, quæ rationi humanæ planè ignota eſt, Vtpotè Euangelij de gratuita condonatione peccatorum, propter meritum ac interceſsionem ſoſpitatoris IESV CHRISTI, qui à Paulo nominatur ſapientia DEI, per quem habemus aditum cum fiducia, quæ eſt per fidem illius. Senſus igitur clauſulæ huius eſt. Cum ego nihil prorſus illorum, quæ ad huius corruptionis prauitatem cognoſcendam requirebantur, intelligerem, Nec modum quo tecum in gra-

tiam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

ciam redire poſſem perſpicerem : Tu pro immenſa tua bonitate , vtrumq; me docuiſti : & veritatem & ſapientiam : Veritatem in cognoſcendo & confiten- do delicta mea : Sapientiam verò, in quærendo ac inueniendo remedio, quo a maledictione & pœna liberari, atq; co- ram te conſiſtere queam.

Opus habemus & nos, qui natura cæci & ignari rerum ſalutarium ſumus, eodem doctore & monitore, ſi modo vnquam, mente ab errore inſaniaq; re- cepta, amiſſam ſalutem recuperare ve- limus : quam vt nobis largiatur, vni- cus ille ſalutis author & dator,

IESVS CHRISTVS
toto pectore preca-
mur, Amen.

* *
+

7.

PVrifica me Hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & præ niue dealbabor.

8. Audire fac me gaudium & lætitiam: & exultent oſſa quæ contriuiſti.

9. Abſconde faciam tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

10. Cor mundum crea mihi DEVS: & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis.

11. Ne proycias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

12. Redde mihi gaudium ſalutis tuæ, & Spiritus voluntarius confirmet me.

Produ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

PRoductis nunc, veluti in Theatrum DEI, angelorũ & hominum, omnibus peccatis, occultis & manifeſtis & è doloribus eluctatus Propheta, petit ſex ſequentibus verſibus, ſibi reſtitui pacem & læticiam conſcientiæ ac ſibi nouos impertiri motus, ſeu ſpirituales effectus, qui in iuſtificatis fide adeſſe ſolent, quiq; noui hominis proprij ſunt: vtpote noua lux in intellectu, optimæ & ſanctæ propenſiones in voluntate, pia opera in tota vita & ſerium ſtudiũ obediendi DEO, ne ſubinde in priora ſcelera relabatur & poſteriora prioribus deteriora fiant. Nam vt illi, qui periti & fidelis medici opera vſi ſunt, niſi ſubitò confortentur, poſtquã noxia expurgata ſunt, denuo in morbum qui priore periculoſior eſt & deterior, incidunt: Ita ab iniquitate liberati, ni ſtatim DEI ſpiritu confortentur, regantur & ſuſtententur, ilicò deficere neceſſe eſt. Quod intelligens Propheta, ſtatim poſt impetratam delictorum veniam, poſtulat dona per gratiam, ſine quibus diu incolumis ſubſiſtere nequit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

De his dicturi ſumus amodò, vbi prius iuſtificationis modum, ex verſu 7. expoſuerimus.

Erunt itaq; Concionis huius duæ partes.

I. Modum deletionis ſeu remiſſionis peccatorum, alluſione ad veterem expiationis Moſaicæ ritum & eius vtilitatem, continet:

II. Fructum & effectum iuſtificationis proponit.

DE PRIMO.

Purificabis me Hyßopo &
verſus 7. *mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor.*

Reſpicit Propheta ad vmbratiles aſperſiones & ritus in lege mādatos, quibus homines, labe aliqua impurati aut contagio affecti, mundari debebant: Idq; vel ſanguine vel aqua, per Hyſſopi aſperſorium. Sicut in curati-
Leuit,14. one lepræ videre eſt, in qua adhibebatur Hyſſopi faſcis ſanguine paſſeris cruentatus.

In

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

In ſacrificio vaccæ rufæ macula carentis, aſperſi ſunt fores tabernaculi aſpergillo Hyſſopi, eiuſdem ſacrificij cruore madefacto, quod ilicò cum carne, pelle & extis, ſpectante populo, combuſſit ſacerdos: poſt combuſtionem verò mittebatur aqua mundiſſima, ſuper cineres, qua tincti homines, vel peccato, vel rei alicuius turpificatæ attactu, polluti: vel naturaliter contaminati, mundabantur. Si quis verò hocce non expiabatur ritu, eius anima de medio Eccleſiæ tollebatur, quia ſanctuarium Domini polluit, nec fuit aqua luſtrationis aſperſus. Num. 19.

In mactatione ſimiliter agni Paſcalis, excipiebatur in peluim ſanguis effuſus & faſciculo hyſſopi, eodem ſanguine tincto, aſpergebatur ſuperliminare & poſtes domus, quæ ab exterminatore angelo immunis eſſe debebat. Exo. 12.

Hoc modo expiati homines ſanguine & aqua luſtrationis, ſanctificabantur ad carnis purificationem, ne exterminarentur è populo.

Quæ ceremoniæ, externæ effuſionis ſanguinis pecudum, & aquæ illuſtra-

lis, aliud ſignificabant nihil, quam inter-
nam illam expiationem, quæ fieri debe-
bat per ſanguinem agni immaculati IE-
SV CHriſti, emundantis ab omni de-
1. Ioh. 1. licto, corda credentium. Quod in
ſpiritu tanquam oculis externis, videns
Propheta: ablutiones nimirum haſce,
vmbratiles ſaltem & typicas fuiſſe: vt-
pote futuræ ablutionis per ſanguinem
Meſsiæ, ex ſemine ipſius, iuxta promiſsi-
2. Sam. 7. onem naſcituri, antitypas & ſymbola:
petit ſe ſuamq; immundiciem, virtute
& efficacitate veri illius ſanguinis, non
autem typici mundari & elui: Idq; non
à leuitico ſacerdote aliquo, ſed à Meſſia
ipſo, quem fidei oculis vidit, in plenitu-
dine temporis ingreſſurum in ſanctuari-
um, non per ſanguinem hircorum aut
vitulorum, ſed per proprium ſanguinem,
redemtionem æternam inuenturum, vt
Heb: 9. in Epiſtola ad Hæbræos dicitur. Si
ſanguis hircorum & cinis vaccæ ru-
fæ aſpergens inquinatos, ſanctificare
potuit, multò magis ſanguis IESV
CHRISTI, qui per ſpiritum æter-
num ſeipſum oblaturus eſſet DEO
incul-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

inculpatum, conſcientiam purga-
bit à mortuis operibus, ad ſeruien-
dum Deo viuo.

Ad hanc igitur victimam expiato-
riam venturi ſeminis ſui confugit, & ea
ſolummodo omnem ſuam immundiciem
tam originis vitio contractam, quàm
prauis actionibus accerſitam, ratione
reatus & culpæ elui, ſtatuit firmiſsimè.

Hanc autem ablutionem fieri dicit
per aſpergillum Hyſſopi, hoc eſt, mini-
ſterium verbi & legitimum ſacramento-
rum vſum, per quæ efficax eſt ſpiritus
ſanctus, applicans credentibus totam
obedientiam & iuſtitiam filij Dei. Quia
enim Hyſſopus ſingularem purgandi &
excoquendi vim habet, & vt dicitur:
Prodeſt cunctis pulmonis ſumpta
querelis, cum vino bibita, præcordia
tenſa relaxat: lædere quiq; ſolet tu-
mor interiora, recedit &c. Ideoq;
eius in luſtrando vſus frequens erat.
vnde à Suida περὶ ἐῤῥαντήριος ſeu herba
aſperſoria dicitur.

Ita miniſterium verbi inſtar faſcicu-
li eſt, quo filius DEI per ſpiritum ſuum

efficax eſt ad nos ſanguine ſuo purgan-dos, dùm, deterſis animi piaculis, pec-tora noſtra firmat: ſpiritualem cordis tumorem tollit: Tenſa formidine præcordia relaxat: Veram conſolati-onem mentibus affundit nouoq; colore iuſtitiæ ſuæ tingit & imbuit. 1. Pet. 1. Redemti eſtis prætioſo ſanguine agni immaculati IESV CHRISTI. Item Dilecti DEI iuxta præfinitionem DEI patris, per ſanctificationem Spiritus, in obedientiam & aſperſio-nem ſanguinis IESV CHRISTI. Apoc. 1. Dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris Sanguine ſuo. 1. Iohan. 1.

Neceſſitatem & vtilitatem huius ſanguinolentæ expiationis ſubiungit Propheta inquiens.

Et ſuper niuem dealbabor.

NON irritam fore hanc aſperſionē, ſed ſummè efficacem aſſerit, hoc dicens: Niſi tu Domine virtute eius ſanguinis, quem fuſurus es in expia-tionem omnium delictorum, me laueris: inutilis

inutilis erit omnis purgatio à ſacerdote externè adhibita: Te vero me aſpergente, vi & virtute tui precioſi cruoris, niue candidior in conſpectu tuo apparebo. Eſa. 1. Si peccata fuerint vt coccus &c.

I. Cernitur hinc peccati fœditas, quæ nulla re alia, aut modo alio, elui expiariue poteſt niſi ſanguine, eóq; ſolius agni immaculati Chriſti.

II. Deinde omnem noſtram mundiciem, conſiſtere, non in aqua luſtrali, qua pontificij ſuos conſpurcant: Sed in ſanguine & aqua aſperſionis, quæ de toto corpore IESV CHRISTI & in cruce lance confixo latere profluebant, qui etiam fontem hunc in verbo & Sacramentis quotidie domui Dauid & omnibus habitatoribus Ieruſalem, ad peccatum & immundiciē aperit: niſi enim loti fuerimus, partem cum ipſo, in Regno DEI nequaquam habebimus. Quemadmodum Petro dixit CHriſtus Ioh. 13. Zach. 13.

III. Caueamus ne poſt ablutionē denuo nos polluamus. Verũm ſi ex infirmitate, propter corruptæ in nobis naturæ reliquias, mundi impuri atq; de-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

generis conſortium, aut ex vitæ huius ſtudijs terrenis, nouas ſubinde ſordes contraxerimus, ad nullum alium, quàm unicum hunc ſalutis fontem, recurramus.

De Secundo Membro.

verſ. 8. *Auditui meo dabis gaudium & læticiam, & exultabunt oſſa contrita.*

SVblatis nunc peccatis, & deleto, quod contra ipſum erat, Chirographo, poſtulat dona per gratiam, & vera iuſtificationis effecta. Vt ſunt:

1. Gaudium & læticia.
2. Cor nouum.
3. Spiritus firmus, vt non proijciatur á facie DEI.
4. Perpetua inhabitatio Spiritus ſancti.
5. Conſeruatio & gubernatio eiuſdem.

Primum quod ſibi impertiri vult, gaudium eſt & læticia, qua mœrore & pauore deiectum cor, & contuſa membra reſtaurentur & viuificentur.

Nam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Nam quemadmodum conſcientia recordatione peccati, ſenſu iræ Dei, legis dira execratione & pœnarum acerbitate, conficitur: & interdum, ni medicus ille Cœleſtis manus auxiliares ultrò porrexerit, opprimitur: vt in Caino, Saule, Iuda & ſimilibus cernere eſt. Quod etiã de ſe hoc loco teſtatur Propheta, aſſerens ſua oſſa præ tanti cruciatus atrocitate & mœroris magnitudine contrita eſſe, ſicut etiam Ezechias conqueritur, Eſa. 38. & Dauid Pſalm. 38. Tota die contriſtatus ingrediebar. Ita remiſsionem peccatorũ gratuitam ſequunrur affectus ſuauiſsimi, naturam hominis ſeruantes & exhilarantes, pax & tranquillitas conſcientiæ, lætitia Spiritus ſancti, & conſolatio ſolida.

Etenim, qui de condonatione peccatorum ſuorum, quorum anteà mole preſſus contabuit, certus eſt: is quoque non exhorreſcit amplius Dei iram, rigore legis prolatam, aut damnationis ſententiam, quæ nulla prorſus eſt ijs, qui ſunt in Chriſto IEſu. Rom. 8. Nam ſublata inimicitiarum cauſa per Chriſtum, tolluntur etiam eius effecta, ſicut dicitur

Rom:

1189.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Rom. 5. Iuſtificati fide pacem ha-bemus & acceſſum ad DEVM.

Vnde autem oriatur & quo orga-no recipiatur hæc cordis lætitia, addit Propheta, ſolo videlicet auditu verbi

Rom. 10. vocalis, de gratuita hac acceptatione per CHRISTVM, in quo acquieſcit mens & ſolidiſsimè contra omnium ten-tationum inſultus, hac efficaciſsima con-ſolatione perfuſa, fulcitur, dum audit, quod ex Nathane Dauid: Dominus abſtulit peccatum tuum: & quod à CHRISTO paralytico dicebatur: Confide fili, remittuntur tibi pecca-ta tua. Huius proinde doctrinæ fidu-cia ſtamus, qui peccato cecidimus.

versus 9. *Auerte faciem tuam à pecca-tis meis, & omnes iniquitates meas dele.*

CVM animus peccatoris nunquam ita pacatus & tranquillus redda-tur, quin poſt reconciliationem, morſus peccati interdum recurrat & ſemper alternatio ſeu viciſsitudo doloris

&

& læticiæ incidat. Petitionem initio
Pſalmi poſitam hîc repetit: Rogans vt
cum oculis DEI (qui occulta cordis &
renum, tanquam in propatulo ſemper
intuetur) pateat peccati immundicies,
cuius nunc ipſum pudet, faciem auertat
DEVS & obuelet, ne ipſam ſpeciem
mali, quaſi ante oculos pingens, conti-
nuo tantæ fœditatis intuitu, tandem ad
vindictam prouocetur. Sumpta ſimili-
tudine ab homine, qui ad rei ſpurcæ &
inhoneſtæ contuitum, oculos claudit,
vel faciem abſcondit, ne eius fœditate
offendatur.

In hac perſuaſione acquieſcamus, &
nos, quorum delicta lumen vultus diuini
identidem offenderunt, & quantumuis
ſe contra nos moueant monſtra quædã
terribilium cogitationum, ex peccatis
noſtris prodeuntia: Verè tamen ſtatu-
amus ſepulta manere delicta & petamus
aſsiduè, vt DEVS faciem ſuam non à Mich. 7.
nobis, ſed à noſtris peccatis auertat. Iere. 31.

Cor mundum crea in me Deus. verſ. 10.

QVoniam ex corde, teſte CHriſto
Matth.

Matth. 15. egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſcortationes, furta, falſa teſtimonia, obtrectationes &c. quæ ex ſuo etiam profluxiſſe corde fatetur Propheta, ideo morbum hunc radicitus exſtirpari & curari petit, & ſibi mentem puram, cogitationes caſtas & nouam ſubinde indolem dari: Vt expurgata vitiorum fœditate, poſtmodum è corde peccatis mortuo, omnia cogitata, dicta, facta puriora & lucidiora in Dei conſpectu appareant.

Creandi verbo utitur, non quòd Deus iterum ex nihilo nouum cor fabricare, ſed inueteratum innouare debeat.

Fit autem hæc creatio, non naturali modo, ſed ſupernaturali, operatione prorſus diuina; Dum in nobis efficax eſt Spiritus Chriſti per verbum, excitans tales motus, qualis ipſe eſt, & reſtituens omnia illa, quæ per peccatricem natiuitatem amiſſa, & reſiduam impuritatem excuſſa fuerant: vt ſunt mundicies fidei, ſancta ſtudia, pia noui hominis opera.

Matt. 12. Vt bonus homo factus, de bono theſauro, bona proferat. Et cum Paulo dicat. Gal. 2: Viuo amplius non ego, ſed viuit in me Chriſtus.

Me-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Medium quo mundiciem hanc con-
ſequimur, Verbum eſt, Ioh. 15. Mun-
di eſtis propter ſermonem, quem lo-
cutus ſum vobis.

Organum recipiens puritatem hanc, Fides eſt, Actor. 15. Purificatis fide cordibus illorum.

Effectus puritatis, clarus Dei con-
ſpectus. Matth. 5. Beati mundo cor-
de, quoniam ipſi Deum videbunt. Sectemur proinde & nos ſanctitatem hanc, ſine qua nemo DEVM videbit.

Et Spiritum firmum innoua in viſceribus meis.

OMnibus carnalibus deſiderijs à cor-
de excluſis, petit tertio πληροφο-
ρίαν, & cauſam conſeruantem fidei, quæ
eſt certa, conſtans & minimè fluctuans
perſuaſio ſpiritus, de gratuita remiſsione
peccati. Vt quemadmodum mens
nunc cœpit acquieſcere in promiſsioni-
bus gratiæ: Ita per Spiritum ſanctum
firmata & in Deum erecta, poſtmo-
dum aliud nihil, quàm cœleſtia, quæq; Coloſſ. 3.
ipſi probantur, querat, in iiſdem pergat,
& homo Spiritu pariter ac corpore

à pecca-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

à peccati labe ſeruatus, mandatis diui-
nis animo prompto & alacri obediat, ne
à ſatana, mundi vanitate aut carnis ille-
cebris abreptus in priora vel ſimilia
vitia prolabatur.

Innoua, hoc eſt, da vt ego, qui
peccatis vetus factus ſum, deponam, ſe-
Epheſ. 4. cundum priſtinam conuerſationem, ve-
Coloſſ. 2. terem hominem, qui deceptricibus cupi-
ditatibus corrumpitur: Renouer au-
tem Spiritu mentis meæ & induam no-
uum illum hominem, qui ſecundum De-
um conditus eſt, ad iuſtitiam & ſancti-
tatem veram.

Idq; in *Viſceribus*, id eſt interiori-
bus, ex quibus profluxere tanquam ex
fonte, mala, à me hactenus patrata.

Corruit hîc impium pontificiorum
dogma, quod iubet nos contra hanc
Spiritus firmitudinem dubitare, de gra-
tia & fauore DEI. Cùm tamen Pau-
lus dicat, Nos non accepiſſe Spiri-
tum ſeruitutis iterum ad timorem
&c. Rom. 8.

Non proijcias me à facie tua
DEVS.

Facie

Facies Dei ἀνθρωποπαθῶς ponitur pro forma, qua ſe hominibus exhibet: idq; bifariam, vel in furore vel fauore.

Furoris facies eſt, quando peccata noſtra ita conſiderat ut magis magiſq; inde irritetur & ad vindictam prouocetur, de qua Pſalmo 90. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, & occulta noſtra in lumine vultus tui. Ideoq; defecimus in ira tua & in furore tuo conturbati ſumus.

Obiectum igitur quo hæc iræ facies irritatur, iniquitas eſt, quâ ſublatâ, alteram faciem, fauoris nempe obuertit, ſicq; pios benigno & gratioſo aſpectu intuetur: vt aſsiduè curam illorum paternam habeat, ijs opituletur, preces exaudiat & in ærumnis efficaciter conſoletur. Quemadmodum 1. Paral. 29, dicitur: Miſericordiæ & diuitiæ in facie tua. Deut. 32. Oſtende nobis Domine faciem tuam, & ſalui erimus. Gen. 32. Vidi Dominum facie ad faciem, & lætata eſt anima mea. Pſalm: 17. 34. &c.

Pſalmiſta igitur memor ſui lapſus,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

ac ſimul intuens in horrendum reiecti anteceſſoris ſui Saulis exemplum, petijt ne ab hac facie DEI abijciatur, hoc eſt, ne excidat gratia & à Deo deſeratur. Metaphora ſumpta ab hominibus qui à ſuo arcere conſpectu aſſolent eos, à quibus læſi ſunt vel offenſi: vt ne quidē illos intuitu ſuo dignentur. Pſal. 10. Abſcondit Deus facies ſuas ne videat vnquam.

Quia igitur faciles ſumus in lapſus, ſolicitè proſpiciamus ne acceptati fide reprobi rurſus fiamus, & à fauoris diuini facie proijciamur, quod Iſraelitis ſæpius accidiſſe, non ſine maximo DEI contemtu & proprio illorum detrimento, multorum exemplorum congerie docet Pſalmus 78.

Et ſpiritum ſanctum tuum non auferas à me.

QVartò orat Dauid præſentiam ſpiritus ſancti perpetuam, ut in reliqua vita ſit vigilantior, ne maligni ſpiritus inſidijs pertractus ad ſimiles lapſus contra conſcientiam, fiat domicilium Diaboli, ſicut anteceſſor ipſius Saul, à

quo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

quo receſsit ſpiritus bonus & exagita-
uit eum ſpiritus nequam. 2. Sam. 16.
Sed perpetuò regatur & ducatur bono
illo ſpiritu, qui corda ſanctificat, conſilia
& omnes vitæ actiones gubernat, & ac-
cendit tales motus quales in verè pijs
conſpiciuntur, de quibus Gal. 5. dicitur:
Fructus ſpiritus ſunt dilectio, gaudi-
um, pax, lenitas, benignitas, bonitas,
fides, manſuetudo, temperantia.

Obſeruetur hoc Dauidis teſtimo-
nium & exemplum aduerſus eos, qui ne-
gant mortalibus peccatis contra con-
ſcientiam, excuti Spiritum ſanctum in
electis. Quorſum enim ſpectaret Da-
uidem tàm deuotè præſentiam Spiritus
exoptare, niſi antea cum ſceleribus atro-
citer indulgeret, perſenſiſſet ſe eiusdem
præſentia & ope deſtitutum.

Auolauerat (inquit Diuus Chryſoſto-
mus) ſicut columba, peccati fœtorem
ſentiens. Et 1. Ioh. 1. Qui facit pecca-
tum ex diabolo eſt.

Rogemus proinde nos Deum intimè,
vt ſpiritus eius bonus deducat nos in
viam rectam & corda noſtra ſibi faciat

habſtacuſa. Nam ut piè canit Eccleſia: Sine huius numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.

vers. 12. *Redde mihi læticiam ſalutaris tui & ſpiritu principali confirma me.*

PEtit, vt cùm fide purificatus & ſpiritu Dei ſanctificatus nunc ſit, ſalutari ſemper lætitia exhilaretur, & Spiritu ſpontaneo, ἡγεμονικῷ & principali armetur: ut ſub quibuslibet pauoribus & afflictionibus ſpontè ac placidè ſe DEO ſubijciat, & in ferenda cruce, ſentiat conſolationem, quæ accipitur ex certitudine præſentiæ eius in calamitatum concurſu & ex liberatione earundem: Tum etiam, ut maturo auxilio confirmatus & ſuſtentatus munia officij ſui ſtrenuè faciat omnesq; tentationes & anguſtias foris & intus obrepentes potenter ſuperare & exantlare queat, ne in poſterum laxet cupiditatibus frena, reddatur ſecurus, aut in officio vel certamine hoc ſpirituali langueſcat & defici

deficiat: Sed talem in hac militia ope=
ram nauet, ut & hoſtes vincat, & per=
petuò ſub timore DEI maneat in=
eo ad finem uſq; perſeueret.

Quia igitur infirma eſt omnis ani=
ma, niſi tali ſpiritus virtute firmetur, nos
cum Dauide oremus æternum DEVM,
vt propter filium propitiatorem cor=
roboret & exhilaret nos in ſalutari ſuo,
ut quò grauiores infirmitates & tenta=
tionum procellas in nos deuoluat Sa=
tan: tantò efficacior conſolatio &
læticia ex conſolantiſsimis pro=
miſsionibus animis noſtris
inſpiretur.

* * *

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

13.

DOcebo præuaricatores vias tuas, & peccatores ad te conuertentur.

14. Erue me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & prædicabit lingua mea iuſtitiam tuam.

15. Domine labia mea aperi, & os meum annunciabit laudem tuam.

16. Quoniam non vis ſacrificium, & dediſſem: holocauſtum non vis.

17. Sacrificia Dei, ſpiritus contritus: cor contritũ & confractum, Deus, non deſpicies.

18. Benefac in voluntate tua ipſi Sijon, ædifices muros Ieruſalaim.

19. Tunc voles ſacrificia iuſtitiæ, holocauſtum, & oblationem: tunc offerent ſuper altare tuum vitulos.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

1189.

PSalmiſta ex verbo DEI & interna Spiritus ſancti conſolatione, certior de vtroq; poſtulato factus, gratuita videlicet peccatorum remiſsione & donis, quæ iuſtificationem concõmitari ſolent: pollicetur ſe operam daturum ſummam, vt fructus reſipiſcentia dignos poſtmodum edat & gratæ mentis ſtudium indefeſſè Deo & hominibus probet. Quod vt tantò facilius expeditiusq; præſtare poſsit, intimè precatur pro ſeipſo, vt peccatis aliquãdiu occluſũ os, denuo aperiatur. Deinde pro utriuſq; ſtatus, Eccleſiaſtici ſcilicet & politici defenſione & conſeruatione Deum ardenter rogat.

Erunt itaq; & huius concionis partes duæ. I. Promiſsio gratitudinis. II. Votum pro publica tranquillitate & incolumitate, cùm Eccleſiæ tùm Reipub.

De prima.

Docebo iniquos vias tuas, vt pec- verſ. 13.
catores ad te conuertantur.

Prima ſpecies gratitudinis, qua promittit initio ſtudium & promptitudinem ſuã in prædicando & propagando doctrinam de gratuita miſericordia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

DEI: quò aliĳ vitiĳs implicati diſcant ipſius exemplo, diuinæ bonitatis, patientiæ & longanimitatis diuitias amplecti, & dum miſerendi tempus eſt, ad ipſum fontem miſericordiæ feſtinare, ab ipſo auxilium petere & exſpectare, & nominis ipſius laudes iugi preconio celebrare, quòd tanta facilitate cœcis lumen impertit, erranteſq; in viam deducit.

II. Oſtendit quos docere vult, *iniquos* nempè: Tales vocat qui vel in Eccleſiæ ſinum recepti, ſub prætextu religionis vitam agunt improbam, & excuſſo DEI metu, neq; peccati turpitudinem, neque diuini iudiciĳ ſeueritatem curant vel conſiderant (Cuius farrinæ hodie in Chriſtianiſmo pars non exigua inuenitur) Vel etiam qui perſuaſione propriæ dignitatis & iuſticiæ tumentes, pietate ficta & fucata Deum colunt: Tum denique illos notat qui extra Eccleſiam verſantes, nihil de viĳs Domini cognouerunt, ſed innata pertinacia adhuc DEO rebellant.

Hiſce omnibus doctrinam ſalutis apprimè neceſſariam & vtilem eſſe iudicat, Ideoq; III. addit, quid tales docere

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

cere velit, dum inquit: *Docebo vias tuas*: Hoc eſt, modum quo tecum in gratiam redire queant, ut ipſis ſalus obtingat.

Via Domini verbum ſeu mandatum ipſius eſt monſtrans rationem agendi & viuendi, & docens quàm mirabili modo DEVS agat cum Sanctis ſuis, dum eos cruce premat & ex eadem rurſus explicet. De qua concionatur Eſa. 2. Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Pſalm. 119. Viam præceptorum tuorum fac me intelligere. Item Pſalm. 143. Doce me Domine viam tuam & ingrediar in veritate tua, vnias cor meum, vt timeat nomen ſanctum tuum. Pſalm. 25. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.

Qui aliò ducunt homines, quàm ad has ſalutis vias, hi cœci cœcorum duces Matt. 15. & ſe & alios in æternæ condemnationis barathrum præcipitant.

IIII. Finem doctrinæ ſuæ addit: *Vt ad te conuertantur.* Hoc eſt, Vt re-

lictis maturè ſtudijs peſsimis, verã adipi-
ſcendæ ſalutis rationem, quæ in agnitio-
ne peccati & iræ DEI, in depreca-
tione eiuſdem, in imploratione gratiæ
& auxilij diuini, & in perpetua vitæ
correctione conſiſtit, amplectantur.

Ad hunc finem & vſum omnia be-
neficia DEI referre debemus: vt alij per
nos, qui ipſius gratiam experti ſumus,
tàm exemplo quàm doctrina, ad bonam
frugem conuertantur, ne vnquam de di-
uino fauore deſperent, vtcunque laban-
tur. Quemadmodum Petrum hor-
tatur CHriſtus de lapſu præmonens,
Lucæ 22. Tu conuerſus, confirma fra-
tres tuos. Et Apoſtolus 1. Timoth: 1.
ſuæ conuerſionis uſum hunc eſſe docet,
vt ipſius exemplo edocti alij, de diuino
fauore nunquam deſperent, modò ex
animo conuertantur.

Quando igitur alios peccantes vi-
derimus, cogitemus quanti & noſtri
lapſus fuerint: ne vel contemnamus vel
temere reijciamus illos: Sed memores
propriæ infirmitatis, illos ſubleuemus,
& quantum in nobis eſt, ipſis viam mon-
ſtremus, qua in gratiam cum Deo redi-
re poſsint.

Libe-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Libera me de ſanguinibus, De- *verſ.* 14.
us, Deus ſalutis meæ.

PEculiare hoc Diabolo eſt, homines poſt peccatum ad pœnam depoſce-re: Dubium igitur non eſt quin cogita-tiones hæ obſtrepuerint Dauidis animo: Qui fuderit ſanguinem, eius ſanguis fun- 1. Cor. 6.
detur: item, adulteri, homicidæ &c, re- Gal. 5.
gnum Dei non poſsidebũt. Et quod ad ipſum dixerat Nathan 2. Sam. 12. Non tranſibit gladius de domo tua: Ideo nunc precationem inſerit Rex, vt ſub-lata peccati culpa, eius etiam pœna tol-latur, vtq; Deus ipſum liberum pronun-ciet coram ſuo tribunali & in foro con-ſcientiæ, ab effuſi ſanguinis Vriæ reatu, & vindicet eum à ſupplicio capitali, hoc eſt, non abijciat eum finaliter in tragicas calamitates aut æternas pœnas, vt Pha-raonem, Saulem, & ſimiles.

Vt autem de hac pœnarum miti-gatione certus ſit, ſibique, quod omni-bus in verbo commune eſt, per fidem applicet: *Deum, Deum ſalutis ſuæ* vocat, ſicut Thomas Ioh: 20. Do-minus meus, & Deus meus.

Et

Et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

ALtera ſpecies gratitudinis, precoꝝ nium iuſticiæ DEI: Ea autem eſt, non qua ipſe ſua natura iuſtus eſt, aut qua iuſtè animaduertit in contumaces & rebelles, miſericordiæ ipſius contemtores: ſed qua ex benignitate peccatores iuſtos pronunciat, qui oblatam Meſsiæ propitiatoris iuſtitiam, ſanguine partam, cum fiducia recipiunt, ſectantes etiam ſedulò opera iuſtitiæ, quo ad in hoc vitæ fluxæ curriculo manendum erit. Eſa: 53. Seruus meus iuſtus, iuſtificabit multos.

Hanc iuſtitiam merito CHriſti acquiſitam, & ſibi fide applicatam, cum iubilo & exultatione celebraturū ſe apud quoſuis ſpondet Dauid: dum in cœtu fidelium deprædicabit eius promptitudinem in recipiendo peccatores, clementiam in remittendo delicta, bonitatem in conferendo iuſtitiam, amorem in adoptando & acceptando eos in filios, potentiam in obſignando gratiam per Spiritum, in liberando à condemnatione & donando vitam æternam.

Verum

Verum enimuero, cùm non ſit ſpe-
cioſa laus in ore peccatoris, impio enim Eccleſ. 15.
dicit Dominus: Quare tu enarras
ſtatuta mea? & aſſumis Teſtamen- Pſal. 50.
tum meum per os tuum? Neque
etiam poſsibile ſit homini, ſine Spiritu
DEI ea præſtare, quæ hoc loco promit-
tit Dauid: Fruſtra enim (inquit
Nazianzenus) laborat lingua do-
centis, niſi intus ſit qui doceat: Ideo
vt auxilio diuino in re tam ardua &
difficili iuuetur, ſic petit verſu ſequenti.

Domine labia mea aperies, & os Verſ: 15.
meum annunciabit laudem tuam.

SEnſus eſt: Præſtò mihi ſis æterne
DEVS & peccatis aliquamdiu oc-
cluſum os rurſus aperi, meq; idoneum
laudis tuæ preconem facito, materiam
etiam gratiarum actionis ſuppedita, vt
ſubinde, ſicut ante lapſum conſueueram,
tibi hymnos dulciſsimos concinam.

Labiorum apertio, liberam doctri-
næ confeſsionem ſignificat, qua ſine ullo
terrore & timore diuina beneficia in ip-
ſius

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

ſius honorem & Eccleſiæ ſalutem deprædicantur. De hac loquitur Paulus ad Epheſ: 6. dum ſibi ſermonem dari petit, in apertionem oris cum libertate, quò intrepidè coram toto mundo myſterium Euangelij profiteatur. Eſa: 50 dicitur: Dominus dedit mihi linguam eruditam.

Hæc precatio omnibus pijs, præcipuè verbi Dei preconibus, ſummè neceſſaria eſt, vt ipſis detur os & prudentia, ne vnquam labia ſua, niſi in laudem Dei adaperiant.

verſ. 16. *Quoniam non delectaris ſacrificio, alioqui dediſſem, holocauſtis non delectaris.*

Tertia ſpecies gratitudinis, oblatio ſacrificij, non quidem externi, ſed ſpiritualis, ex corde contrito & humiliato.

Varia Iudæis in veteri lege mandata erant ſacrificia, quæ viſibiles conciones pœnitentiæ erant, & typi venturi Meſsiæ oblaturi ſemetipſum Deo patri in odorem ſuauitatis. Talia externa ſacrificia gratitudinis loco ſe haud oblaturum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

laturum Deo, dicit: non quòd ea damnet, tanquam abominabilia, aut ab ipſo Deo reiecta: verum potius propter opinionem cultus ac meriti, quam quidam Iudæorum fouebant, ob externi operis functionem, ſtatuentes illa per ſe, ſine fide fauorem operantibus conciliare & delicta expiare, nec ad verum finem reſpiciebant: Ideo Dauid hoc loco & Pſalm. 40. Item Pſalm. 50. Et Eſaias cap. 1. & 66. talibus ſacrificijs Deum placari negant, & docent alia ſacrificia immolanda eſſe: Spiritus videlicet & iuſticiæ, de quibus ſic ait Pſalmiſta.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. verſ. 17.

HÆc ſunt ſacrificia, quæ pij offerre debent, modò offenſum DEVM placare velint, ſpiritus nempè mœrore fractus, propter admiſsi criminis conſcientiam, & cor contritum malleo legis, quod ſentit iræ DEI magnitudinem, dolet ſerió ob commiſſum peccatum, petit condonationem propter

CHriſtum,

CHriſtum, & firmis ſeſe conſolationi-
bus erigens, recumbit viua fiducia in
miſericordiam DEI & iuſtitiam me-
rito Chriſti acquiſitam: De quo Baruch
2. dicitur: Anima triſtis ſuper ma-
gnitudinem mali, quæ incedit cur-
ua & infirma & oculi deficientes, &
anima eſuriens, dat gloriam & iuſti-
tiam Deo.

Hoc ſacrificium minimè à DEO
deſpectum iri affirmat Pſaltes: Ete-
nim non extinguit (vt loquitur Eſaias
42. cap.) linum fumigans, nec cala-
mum frangit quaſſatum. Sed vt dul-
Eſai. 57. ciſsimé alibi ait Propheta. Habi-
tat cum contrito & humili ſpiritu,
vt viuificet ſpiritum humilium, &
viuificet cor contritorum. Item
cap. 66. Ad quem reſpiciam, niſi ad
pauperem & contritum ſpiritu &
trementē ſermones meos. Et Chri-
ſtus ipſe Matth: 5. beatos eos pro-
nunciat, qui pauperes ſunt ſpiritu,
& qui lugent.

Hinc intelligitur: eos demum cum
Dauide

1189.

Dauide ad ſalutem proficere, & diuino amore complexum iri, qui iudicij metu experrecti peccatum ſentiunt, peccatum agnoſcunt, peccatum oderunt, atq; in ſeipſis deiecti, ſe totos ad DEI miſericordiam cum gemitu & lachrimis conferunt, carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifigentes: non illi, qui vitiorum ſordibus volutati, aut mundi ac carnis illecebris irretiti, rident in ſinum ſuum, vt Nabal, Baltazar, Holophernes, epulo & ſimiles Epicuræi, quibus ne ſemel vel lacrimula propter admiſſa ſcelera excutitur, vel vllus gemitus exprimitur, priuſquam triſticia & dolor infernalis illos ipſos inuadat & obruat.

De ſecunda parte. verſ. 18.

Benignè fac in bona voluntate Zion, vt ædificentur muri Ieruſalem.

HActenus Propheta ſuam ipſius cauſam egit apud DEVM, & quæ ſibi ſoli ad ſalutem neceſſaria fuerunt, impetrauit. Subiungit nunc hac

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

vltima parte Pſalmi, precationem pro ſtatu Eccleſiaſtico & politico. Semper enim precationibus de noſtris rebus adiungere debemus vota & preces, pro communi ſalute Reipubl: vt corpus totum incolume conſeruetur, & in eo longè lateq; nominis Dei gloria & omnium membrorum ſeu ordinum ſalus & incolumitas propagetur.

Et quoniam Dauid Rex & Propheta erat, qui aliis virtutum exemplo, praelucere & praeeminere, atq; ad praeſcriptum honeſtarum legum, ſcelera, vtpote homicidium, adulterium, perfidiam &c. punire debebat. Ipſe verò, neglectis omnibus, quae eius perſonam & officium concernebant, publici ſcandali autor in populo fuerat, ſuoq; exemplo vtrumq; ſtatum laeſerat, & blaſphemare fecerat inimicos nomen Domini. Quod etiam in ipſo, prae coeteris peccatis reprehendebat Nathan. Vnde & ipſe ſibi & omnibus ſubditis ſuis paenas graues attraxerat, vt timenda nunc eſſet exitialis ruina totius imperii Iudaici. Nam vt vita Principis cenſura eſt totius populi, ad quam mores illorum ſeſe accommodant:

Ita

1189.

Ita etiam fieri aſſolet, vt ob delinquentis magiſtratus peccata, varijs pœnis & calamitatibus implicentur & inuoluantur ſubditi, vt vulgò dicitur: Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui. Quod exemplum 2. Sam: 24. euidenter oſtendit. Ideo orat Propheta pro populo, ne ipſius peccata luat, aut Reſpublica in deterius ruat: ſed potius, quod ipſius culpa collapſum erat, DEVS pro ſua bona voluntate reſtaurare & in integrum reſtituere velit & ſemper incrementũ dare publicæ gubernationi.

Per *Zionem* Eccleſiam intelligit, ſicut per *muros Ieruſalem*, adminiſtrationem politicam. Nam in monte Zion (quam vocem Euſebius altam ſpeculam interpretatur) Regia erat ſeu arx Zion, in qua Rex cum Principibus & ſenatu Regio morabatur. Templum quoq; prope Zionem erat, in quo ſacerdotes, tanquam veri ſpeculatores verſabantur: Ibi omnis cultus, forma ac ritus legis veteris, ſacrificia, hymni & Pſalmodiæ exercebantur, ſicut dicitur Pſalm. 50. Ex Sion pulcherrimus ſplen-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Dei fulget. Huic igitur monti Sion, Id eſt
Regibus & ſacerdotibus in eius eminen-
tia conſtitutis, à DEO benefieri orat
Propheta: vt inſtructi & illuminati à
Spiritu ſancto, videant quid fiat in ciui-
tate & intra muros Ieruſalem, & quisq;
ſuo loco & ordine communi ſaluti con-
ſulat, ſacra ritè peragat, hoſtes arceat,
ciues & ſubditos in pietate, pace & ho-
neſtate regat & conſeruet. Vtq; Deus
clementer reſpiciat eos, deſtruat regnum
Eſa. 27. Satanæ, det ipſis ſalutem pro muro &
antemurali, hoc eſt, protegat & defen-
dat eos ab omnibus inſultibus Satanæ
& conatibus hoſtium, ne ipſis præda fi-
ant, ſed ſemper ſit & maneat apud eos
pax in foro, & pax in choro,

Hanc precationem, ſi unquam aliâs,
hoc certè vltimo & periculoſiſsimo ſe-
culo aſſiduè repetere ſummè neceſſari-
um eſt, eaq; tanquam ἀμυντηρίω va-
Prou. 24. lidiſsimo & inuictiſsimo nos munire,
contra omnium aduerſariorum & hoſti-
um noſtrorum inſultus, qui hodie per
totum chriſtianum orbem, omnia tur-
bare & vaſtare conantur: Quales Pon-
tificij & Turca hoſtis Eccleſiæ, & ſangui-
nis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

nis chriſtiani ſitientiſsimus, qui non im-
meritò Terror orbis & Flagellum Dei
hoc tempore dici poteſt, per quem iudi-
cium ſuum exſequitur Dominus, ad ca-
ſtigandum morum noſtrorum licentiam.
Cogitemus quæſo, quid adulta æſta-
te in Vngaria, Pannonia, & vicinis
locis effecerit, quanta immanitate &
crudelitate in CHriſti Eccleſiam deſæuie-
rit, vt pia mens etiam cogitando per-
horreſcat, & planè de Chriſtianiſmo
actum nunc iudicet, ni Deus ipſe tan-
tos & tam immanes furores barbaro-
rum, ac inuictam illorum potentiam &
robur frangere & reprimere velit, ſibiq;
inter nos ſemen relinquere, ac puſilli
gregis ſui, cuius ipſe caput & paſtor eſt,
curam & defenſionem ſuſcipere, afflictiſ-
ſimæque Eccleſiæ nidulum, & tutum ali-
quod hoſpitium, propter nomen ſanctũ
ſuum concedere: donec conſummata in
vita cæleſti, tuta ſit ab omnibus hoſtibus
per Chriſtum Redemtorem.

Hæc ſi nobis Deus pro mera ſua bo-
nitate præſtare velit, ſicut ipſum ve-
rè facturum credimus, promittemus &
nos ipſi, quod Dauid hoc vltimo verſu.

Tunc acceptabis ſacrificia iuſticiæ, oblationes & holocauſta, & tunc litabunt ſuper altare tuum boues.

HOc eſt, tunc vera ſacrificia iuſticiæ & ſpiritus offeremus, ingenuam videlicet confeſsionem & ardentem inuocationem: Tum etiam oblationes, id eſt, nouam vitam & opera ab ipſo DEO mandata, in vera pietate & fide præſtita. Præterea etiam vitulos & boues labiorum noſtrorum, hoc eſt, debi-
Oſe: 14. tam gratiarum actionem pro acceptis beneficijs.

Hæc ſunt libamina & ſacrificia DEO gratiſsima & λογικὴ illa λατρεία, quam ipſe à nobis requirit: vt eius beneficia dignè & ſanctè reputemus, & noſtram ei gratitudinem in præſenti & futura vita probemus. Huic DEO vni & trino laus & gloria in ſecula,

AMEN.

***

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

1189.

ORDO LECTIONVM & precationum hiſce Lita-nijs ſeruandus.

* * *

PRIMA DIE

LOCO EPISTOLÆ
Primi ſex Pſalmi verſus.

EVANG: Luc: 18.
Publicanus autem ſtans &c.
Finis: Qui ſe humiliat exaltabitur.

PRECATIO.

ALſommectigſte E-
uige Gud/ Himmelſke
Fader/du ſom eſt mild
oc Miſkundelig aff din Gud-
dommelige Nature/til at anna-
me fattige Syndere / endog de
graaffuelige dig fortørnit haff-
ue/oc ſamme din Barmhiertig-

hed aff Verdens Begyndelſe
mod alle angerfulde Mennis-
ſke / Faderlig beuiſt oc beteed.
Wi bede dig / at du for ſamme din
vſigelige Godheds oc Barm-
hiertigheds / oc for din enbaar-
ne Søns JEſu Chriſti Pine
oc Døds ſkyld / vilt vere oſſ naa-
dig oc Miſkundelig / To oc renſe
oſſ aff alle vore Miſgiernin-
ger / huilcke wi nu ydmygelige
for dig bekiende / oc begræde oſſ
aff gantſke Natur oc væſen / fra
første vndfangelſe at vere for-
derffuede oc fordømmelige / ſaa
wi aldrig kunde bliffue for dit
Anſict beſtandige / men dig eff-
ter din ſtrenge Retferdighed /
at haffue mact at hiemſøge oſſ
met timelig oc euig ſtraff / vden
du

du aff din grundløſe Godhed
vilt oſſ igen til dig anname / oc
effter dit hellige Ords Foriet-
telſe vdſlette alle vore Miſgier-
ninger / Borttage den velfor-
tiente ſtraff / Oc giøre oſſ i din
Naade deelactige / Huilcket wi
nu Hiertelige aff dig bede oc be-
gere O Naadige Fader / for
ſamme din elſkelige Søns JE-
ſu Chriſti ſkyld / ſom met dig
oc den Hellig Aand leffuer oc
regnerer en ſand Gud fra
Euighed til Euighed/
AMEN.

*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

SECVNDA DIE.

EPISTOLÆ LOCO,
Sex intermedij verſus.

EVANG: Marc: 11.
Amen dico vobis, quicunque dixerit monti, &c.
Finis: Remittat vobis delicta veſtra.

PRECATIO.

O Miſkundelige oc langmodige Gud / du ſom haffuer loffuit oc tilſagt oſſ / der ſom vore Synder ere røde ſom Blod / da ſkulle de bliffue huide ſom Sne: Wi bede dig / affſlet alle vore Blodige Synder / oc met den rette Iſops koſt / ſom er dit hellige Ord oc Sacramente / Beſtenck oc beſtyrcke vore Hierter om alle vore Miſgierningers oc Synders renſelſe / Oc hielp oſſ at wi

altid

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

altid kunde bliffue vbeſmittede
for dig: Forſkiud oſſ icke met de
vgudelige fra dit Naadis An-
ſict/ oc tag icke den Hellig Aand
fra oſſ/ Men naadelig beuare
oc opholt oſſ/ at vi met en fri-
modig villig oc ſtadig Aand/
oc met it nyt reent Hierte altid
her effter tiene dig/ oc ved ſam-
me din Aands krafftighed rege-
ris oc beuaris i alt det/ ſom dig
er behageligt/ Lad oſſ beholde
den ſande trøſt oc glæde i vore
Hierter oc Samuittigheder/ oc
ſiden bliffue euig ſalige/ forme-
delſt din kiere Søn JEſum
CHriſtum vor
Herre/

*

A M E N.

TER.

1189.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

TERTIA DIE.

EPISTOLÆ LOCO
Vltima pars Pſalmi.

EVANG: Matth: 12.
Ecce ſeruus meus quem elegi.
Finis: Proferat ad victoriam iudicium.

PRECATIO.

O Naadefulde *IESV CHRISTE* / Guds oc Mariæ Søn / wi hiertelige tacke dig / at du aff din wſigelige Godhed / haffuer forlat oſſ alle vore Synder / flyd oſſ din Faders Venſkaff / oc met dit Ord oc hellig Aand trøſtit oſſ: Wi bede dig / at du fremdelis vilt hielpe / regere oc beuare oſſ / til dit hellige Naffns ære / at baade wi ſelff i vor gantſke liffs tid / kunde frycte oc tiene

tiene dig / Oc andre maa læris
aff vort Leffnit oc Exempel at
omuende ſig til dig : Oplad
vor Mund oc Læber daglig at
tacke dig/for din ſtore Miſkund
oc rige Velgierninger. Oc
effterdi du haffuer icke lyſt til
nogit vduortis Offer / Men
dig allene behager it angerfult
Hierte oc ſønderknuſit Aand /
Derfaare offre oc frembære wi
nu i dag for dig vore bedrøffue-
de Hierters ſuck oc Bøn / Be-
dendis at du icke vilt forſmaa
eller forſkiude ſaadan vor ban-
ge Samuittigheds ydmyge be-
gering / Men oſſ anname / oc
Naadelige trøſte oc huſuale.
Ah HERRE giør vel imod
Sion / Beuare din Chriſtne

Kircke

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Kircke oc forfremme dit hellige Ord oc Ære hos oſſ / nedſla Dieffuelens rige / Affuend den grumme Tyrck / Papiſterne / Kættere oc alle dine Ordis Fiender / ſom atſprede oc ødelegge din lille Hiord / oc beſpaatte dit hellige Naffn. Byg Murene i Jeruſalem / oc holt vnder din Guddommelige beſkermelſe diſſe Riger oc Lande : Regere oc velſigne / vor Naadige Printz oc vdualde Konning Her Chriſtian / met ſin høybaarne Fru Moder Dronning Sophia / oc gantſke Kongelige Hus. Beuare ocſaa diſſe Rigers Raad oc Regentere / Adel oc gantſke Menighed. Giff Fred oc Enighed / Lycke oc Velſignelſe til Liff oc Siæl.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

1189.

40

Siæl. Holt oſſ i en faſt Tro/ Haab oc Taalmodighed/ Oc effter it Chriſteligt endeligt/ for-læne oſſ Himmerigis Glæde oc Salighed: Saa ville wi nu oc euindelige offre dig vore Læbers Offer/ oc priſe dig en Naadig oc Barmhiertig HErre oc Frelſe-re/ du ſom met din kiere Fader oc Hellig Aand/ leffuer oc regne-rer en ſand Gud fra Euig-hed til Euighed/

AMEN.

† † +

Errata, quæ inter excudendum irrepſère, ſic corrige.

A. facie 16. linea 19. pro perſentiſcat, lege perſentiſcit.

B. facie 4. linea 24. pro peacandi, lege peccandi.

B. facie 8. linea I. pro mane, lege in me.

B. facie 10. linea 18. pro oculli, oculi.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)

1189.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1189 8° (LN 1645 8° copy 2)